

Quando Bernardus sapiens [a] posuit mensuram pedis
ad maiorem Ecclesiam.

CAP. CXIV.

Anno Domini mxcv/ Bernardus Sapiens/ ante januas majoris ecclesie posuit
mensuram pedis/ ad terram mensurandam (89).

Quando idem Imperator concessit naturae.

CAP. CXV.

Anno itaque Domini mxcvii/ in civitate Mecenarum [b] nominatus imperator de
tanto imperii culmine, de tanta gloria et celsitudine, tanta victoria et trium-
pho in lectum decidens [c], ut placuit Domino, concessit naturae. Semper profecto
humanae laetitiae repentina succedit tristitia, et quod incipit in gaudio, desinit in
miserore. Noverat optime qui dicebat: *Virus dolore miscebitur; et extrema gau-* Prov. 14, 13.
diu luctus occupat. Et ille alius: *Versa est in luctum cythara nostra, et organum* Job 39, 31.
nostrum in vocem flentium. Ex tanto quoque principe et imperatrice Constan-
tina puer remansit, Fredericus Rogerius nomine.

Quando Faventini iverunt in servitium Ravennatum super Caesenates.

CAP. CXVI.

Sub anno Dominicae incarnationis [d] mxcviii/ Faventini iverunt cum Ravennati-
bus ad eorum servitium super Caesenates. Item anno eodem invitantes Bononienses
ipso ad servitium Ravennatum Caesenam duxerunt, domino Guifredo [e] Confalone-
rio [f] Faventinorum potestate [g] eos optime regente (89*). Marcoaldus [h] autem [i]

[a] Bernardus Sapiens. Sic Codd. In chartis saepe dicitur: Bernardus Sapius. De eo habetur crebro
mentio in publicis tabulis. — [b] in civitate Mecenarum. Sic Codices. Corrige: in civitate Massana-
rum. — [c] in lectum decidens, C. M.; in lectum decedens, C. V. — [d] Sub anno Dominicae incarnationis,
C. M.; Anno Domini, C. V. — [e] Guifredo. Sic legit Cl. Mitt. Gutfredo, habet C. V. Apud Greg.
Zuccul. Gufredo. — [f] Confalonerio. Sic hic, C. M.; supra habet Gonfanonerio. In C. V., Gonfalone-
rio, ubique. — [g] Faventinorum potestate, C. M.; Faventinorum praetore, C. V. — [h] Marcoaldus au-
tem. Sic C. M.; Marescaldus autem, C. V.; Marcoaldo, etiam vocatur a Tondutio.

[i] Cl. Muratorius eum nominat Marquardum, ducemque Ravennae et Marchiae Anconitanae ab
Henrico creatum, eoque titulo has regiones occupasse asserit.